DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

COLICA HÆMORRHO-IDALI,

QUAM
PROPITIO NUMINE DIVINO
ET
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISS. REGIS PORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDICINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in arte Medica Honoribus, Inſignibus, ac Privilegiis
More Majorum Solenni obtinendis,
Horis ante- & pomeridianis. d. Novembr. MDCC XVIII.
Publicæ ventilationi ſubmittet

JOHANNES FRIDERICUS ZEHNER,

HAL. MAGDEBURG.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

PROOEMIUM.

INter varias rerum humanarum, ſcientiæ & experientiæ ſubjectarum, contemplationes atque tractationes, notatu digna illa circumſtantia obſervationi & deliberationi ſeſe commendat, quod quædam illarum ob antiquitatem, aliæ ob novitatem æſtimentur & præferantur: antiquitas quidem hodiernis moribus non admodum arridet, præprimis quando minus ingenuum illud judicium de antiquis fertur, quaſi indocti, ſimplices & inſcii fuerint, cum contra in hodiernis ævis ſcientiæ & artes magis excultæ, auctæ, illuſtratæ & confirmatæ credantur, licet viciſſim inter antiquos major candor, ſolidior ſinceritas magisque ingenua ſimplicitas & dexteritas, quam in ſedulis obſervationibus adhibuerunt, merito commendari mereantur, unde minime aliis ſubtilibus & inutilibus disquiſitionibus ſeſe immiſcuerunt, ſed potius induſtriam ſuam ad phæ-

nomena certa & infallibilia applicuerunt & ita magis circa factum occupati fuerunt; cum poſteritas multo inutili & ſterili conatu circa poſſibilia verſetur, quæ quidem poſteriores meditationes ſatis ſæpe ſplendide & ſpecioſè perorantur & commendantur, ſed in genuina ſua indole non niſi umbram aut corpus ſine anima præſentant: Quemadmodum vero non omnes antiquorum ſententiæ certæ & indubiæ ſunt, ita etiam viciſſim non omnes novitates rejiciendæ & negligendæ ſunt, illud vero etiam minime negari poteſt, quod interdum antiquæ ſententiæ & obſervationes poſtponantur, quia pro obſoletis inuſitatis, inutilibus & in hodiernis temporibus minus obviis nimis præcipitanter declarantur, deinde quod in novitatibus ſatis ſæpe antiquæ illæ ſententiæ & experientiæ hæreant, quæ aliter coloratæ aut aliis terminis notatæ pro re nova & inaudita declamantur, quas ille demum antiquas eſſe intelligit, qui veterum ſcripta perluſtravit: Inter uſitatos porro defectus, qui in tractatione rerum antiquarum & novarum obtingunt, placet hoc loco tantum duos ſolennes & principales annotare, primo quod antiquorum obſervationes admodum negligantur, neque ſatis condignè concilientur, quæ Hermenevtica Medica multam utilitatem promittitt: deinde quod non modo in præferendis novitatibus major induſtria adplicetur, ſed & quod accidentales eventus atque effectus, eſſentialibus atque ſimplicibus præmittantur & ita juxta veterum intentionem Morborum Hiſtoria non explicetur & confirmetur, ſed implicetur & debilitetur, indeque non niſi confuſæ & infructuoſæ, licet novæ & curioſæ

ob-

obſervationes emergant: Quot quot vero novitates utiles & commendatione dignæ videri poſſent, ſane illæ prærogativam merentur, quæ in veterum attenta & prudenti obſervatione latent, ut ita minimè fruſtraneus, ſed omnino utilis labor exiſtat, quando animadverſiones quædam ſingulares antiquorum, non quidem ſatis completæ atque perfectæ, in experientia tamen eximie fundatæ, notatuque dignæ, diu vero neglectæ, iterum innovantur & è canæ atque æruginoſæ antiquitatis ruderibus protrahuntur, nunc ſupplentur, illuſtrantur, confirmantur & ad ſolidos uſus practicos applicantur: quæ nova induſtria non novitates inutiles, ſed laudabiles & commendatione dignas tractat. Detinet meditatio hæc animum noſtrum, quando in experientiam veterum & recentiorum vel unico tantum oculo introſpicimus, ubi obſervare contigit, quomodo antiqui multa quidem utilia egerint, ſed multa etiam non peregerint, & quomodo viciſſim multi recentes multa quidem nova egerint, ſed multa aliena atque ſterilia, vero ſuo uſu deſtituta, neque tamen in ſuo ſtatu perfecta, ſed perquam lacera & mutila, in quibus rationalis atque prudens nexus nimium quantum deficit: Et quid de novis illis morbis dicamus, quot quot hodienum vulgo accuſantur? ſunt ſane fructus animi novitatum cupidi! ſub quorum operoſa indagatione utiliores & digniores obſervationes magis negliguntur: neque quidem ejusmodi novi morbi adeo boni ominis eſſe deprehenduntur, cum vel corrupti ſint, qui in ſimplici & genuina ſua indole non ſtatim agnoſcuntur & intelliguntur, vel ex aliis nationibus propagentur, vel mor-

bi obſcuri exiſtant, qui à ſpecialiſſima quadam interna labe dependent, vel ex ratione conſuetudinis & hæreditariæ diſpoſitionis generentur, vel ex animi pravitate & vehementi commotione prodeant &c. quorum ſingulorum cauſæ genuinæ cum multos lateant, ita mirum eſſe haud poteſt, cur tot novi morbi declamentur & inculpentur: dantur vero etiam morbi, qui certo reſpectu novi vocari poſſunt, quorum radix atque cauſa longe ſimplicior exiſtit: & ut inter varios maxime cognitum producam, mentionem facere lubet *Mali Hypochondriaci*, quod quoad pleniorem & planiorem obſervationem magis poſteritati & novitati, quam antiquitati adſcribendum eſt: ſed quot non paſſim hujus afflictionis inter medicos circumvolant opiniones, quarum quædam imaginarias obſtructiones, aliæ confuſas ſcorbuticas dyſcraſias, aliquæ acidum hypochondriacum, nonnullæ impuritates atrobilarias, quædam flatulentias, iterum aliæ atonias accuſare ſciunt: ejusmodi novis, aſt non abſolute novis, morbis accenſemus anomalias hæmorrhoidales, quæ vulgo longe aliis cauſis & potentiis, quam hæmorrhoidali negotio adſcribuntur, licet illarum affinitas cum Hæmorrhoidibus veteribus medicis non modo non incognita ſit, ſed & ab iisdem primum annotata & inculcata fuerit: quales affectus vero inter poſteros non modo interdum pro novis agnoſcuntur, ſed & ſub qualicunque ætiologica deliberatione minus adæquatis cauſis annumerantur, quando modo dyſcraſia genus nervoſum irritans increpatur, modo exilium & capillarium vaſorum ſanguiferorum actualis obſtructio inſimulatur, modo culpa in

fla-

flatus retentos atque occluſos conjicitur, primaria, genuina, & radicalis cauſa vero negligitur: Quidni conſultum & utile fuerit ejusmodi defectus ſupplere & emendare, adeoq; ex collatione antiquæ & novæ experientiæ veram talium affectuum cauſam indagare & commendare: ita enim antiquorum ſolertia magis illuſtratur & novitatis ſtudium cum eximio emolumento tractatur, ne vana & otioſa quædam curioſitas utiles alias conſiderationes offendat, detineat atque impediat: Inter multa alia talia ſpecimina, quibus antiquitatis utilitatem atque candorem & novitatis inutilem curioſitatem & vanum ſplendorem commonſtrare poſſumus, ſiſtit ſeſe modo allegatum Hæmorrhoidum negotium, quid inter veteres medicos perquam cognitum & inculcatum fuit, licet inter recentiores varios Hæmorrhoidum commendatio & allegatio ad inauditas & peregrinas animadverſiones referatur, & cum in novitatibus medicis & quidem ætiologicis magis fermentationes, obſtructiones, flatulentiæ, irritationes, ſalia peregrina, ſpiritus tumultuantes, atoniæ &c. obtinuerint, ita de ſimplici & genuino hæmorrhoidalis negotii ſtatu altum eſt ſilentium: Ex aliis pathematibus cum Hæmorrhoidibus connectentibus eadem fata ſubiit Colica Hæmorrhoidalis, quæ forte in communi & triviali Pathologia incognita deprehendetur, aut ab alia flatulenta & humoroſa colica non diſcernetur: dignum itaque negotium eſſe exiſtimavimus, tanquam nova quadam & minus cognita tractatione è ruderibus antiquitatis utilem hanc obſervationem practicam peculiari ſtudio atque labore commendare: propterea præſenti Inaugurali ſpecimine de

CO-

COLICA HÆMORRHOIDALI diſſerere propoſuimus: Annuat huic labori divina clementia, eundemque omni neceſſaria benedictione comitetur, quo veritati & utilitati medicæ adjuvandæ inſerviat.

§. I.

AD illos corporis humani affectus, qui ſub *diverſis* morbidarum afflictionum *ſpeciminibus* ſeſe ſiſtunt, merito accenſeri debent *Hæmorrhoides*, quæ non modo *fluxu* ſuo ſeſe manifeſtant, imo quod adhuc magis eſt, etiam variant, ut propterea præter *ſinceras* Hæmorrhoides etiam *albus* Hæmorrhoidum fluxus detur, ſed *motu* aut *molimine* ſuo diſcrepant, & quidem quando *anomalia* quædam ipſis ſupervenit; quare modo in forma *cardialgicorum* & *aſthmaticorum*, alibi in forma *Spleneticorum* & *Hepaticorum* morborum, nunc ut affectus *ventriculi*, interdum ut pathema *pectoris*, quandoque ut afflictio *convulſiva*, aliquando ut *ſpaſmus fixus* & dolor *nephriticus* ſeſe produnt atque exhibent, imprimis vero in famoſo illo *hypochondriaco* affectu non admodum *raro* obviæ fiunt; inter hæc variaque alia pathemata Hæmorrhoides ſeſe interdum in forma *Colici* affectus atque doloris ſiſtunt, ut juxta *trivialem* Pathologiam non raro arduum videatur, negotium *hæmorrhoidale* cum *colico* tali affectu combinare atque *connectere*; præprimis cum *vulgo* colica longe *aliis* cauſis quam *ſanguinis* commotionibus adſcripta conſpiciatur: neque quidem ea propter *Colicæ* & *Hæmorrhoidum concurſus*, negari poteſt aut debet, præprimis cum ex ipſa negotii hæmorrhoidalis indole facile liqueat, quam facilè *motus hæmorrhoidales* in actuales *ſpaſmodicos* impetus increbeſcant & exardeſcant: hinc Medicinæ & imprimis *Hiſtoriæ Practicæ* non parum lucis affundit;

dit,

dit, ſi negotium hæmorrhoidale in *diverſo* ſtatu perluſtratur, quo partim *avia* hæmorrhoidalia, partim *legitimi* motus & *ſucceſſus* hæmorrhoidales eo magis innoteſcant & quid ad *eſſentiam* aut ad *accidentale* alicujus negotii ſtatum pertinet, inclareſcat: Permovit itaque nos *duplex* peculiaris atque ſontica ratio, quo hujus Colicæ *ſpecialem* mentionem faciamus: *primo* quia illius *indoles* reſpectu ſuæ determinationis, applicationis atque *ſcopi* à *communi* alia colica admodum *differt*, eoque ipſo *ſingularem* aliquam *cauſam*, quæ in *Hiſtoria* & *Praxi* medica multam & providam conſiderationem meretur involvit: *deinde* quia aliàs hujus colicæ tam *infrequens* mentio injicitur, ut merito hæc tractatio ad *omiſſa* medica, quæ tamen *notatu digna* ſunt, referri debeat: annitemur itaque impræſentiarum demonſtrare veram hujus Colicæ *ſpeciem* atque *conſtitutionem*, nec non illius *differentiam ſpecificam*, proinde etiam ejusdem *veram* atque *evidentem cauſam*, ut & rationalem atque ſecuram tractationem & *directionem medicam*, quæ tanto magis ſcitu *neceſſaria* erit, quia *facilè* quisquam in hujus colicæ cura *impingere* poteſt, è qua *anti praxi* valde *periculoſi*, imo plane repentini, acuti & *extremè* pernicioſi effectus & affectus eo certius ortum trahunt, quo *ſenſibilior* illa *colica* eſſe obſervatur: id quod in inferioribus pluribus demonſtraturi.

§. II.

Dum itaque hanc *Colicam*, quam *hæmorrhoidalem* eſſe dicimus, explicare & commendare aggredimur, mox in limine hujus tractationis indicamus, quod non *in genere* de *ſpaſmo* quodam *hæmorrhoidali* nobis ſermo ſit, ſed quod *ſpeciali* quadam declaratione *colicam hæmorrhoidalem* intelligamus; quoniam *ſpaſmi hæmorrhoidales* dantur, qui non ſunt *colici* affectus, licet *omnes colicæ* hæmorrhoidales afflictiones de *proſapia ſpaſmodicorum* motuum

 exi-

exiſtant: ita enim dantur *ſpaſmi* in abdomine qui non ſunt exacte *colici* v. g. in *meſenterio* & *Venæ Portæ* plexu atque nexu, in *ventriculo*, in *hypochondriis* & extrinſecus in *lumbis*, *iſchii*, *coxendicum* regione, nec non circa *renes* &c. qui ſinguli ſpaſmi ad *hæmorrhoidale* negotium *nonnunquam* ſpectant: *colicæ* vero nomine præſentem *hæmorrhoidalem* afflictionem notamus, quia in hac, *illa pathemata* quæ ad *colicam eſſentialiter* & *formaliter* ex parte pertinent, adſunt, ut ſunt *torminoſa*, *ſtrictoria*, *tractoria*, cum aliquali *flatulentia* interdum *alternantia*, *inteſtina* maxime occupantia & detinentia & viciſſim etiam in *inteſtinis* lenienda & *mitiganda*; licet præterea adhuc *plures* ſpaſmorum *concurſus* coincidant, aut tormenta hæc *ſpaſmodica* præterea in *Venæ Portæ* ſyſtema & *hypochondriacam* regionem *evagentur*, quæ *complicationes* tum exactè *colicorum* tum reliquorum ſpaſmodicorum *vagorum* motuum probe diſcernendæ ſunt; ſicut itaque *colica* proprie affectus *inteſtinorum ſpaſmodico-flatulentus* eſt, ob id præſens *hæmorrhoidalis* evagatio ob eandem *ſpaſmodico-flatulentam inteſtini* afflictionem *colica* vocari meretur: Appellavimus vero hanc colicam *hæmorrhoidalem* ipſo *ſimplici* reſpectu atque ſignificatu, quod ad *Hiſtoriam* & negotium *Hæmorrhoidum* pertineat, quod *fluxum hæmorrhoidalem* pro ſuo *objecto* atque ſcopo habeat, quod motum & *molimen hæmorrhoidale* conſtituat, adeoque ſecundum *principaliſſimas* circumſtantias cum *Hæmorrhoidibus communicet*, ita quidem ut nullam aliam principaliorem cauſam involvat, ſed ad hanc in diagnoſi, Prognoſi, ætiologia & Therapia *primarius* reſpectus dirigendus ſit: & ſecundum hanc animadverſionem *Colica hæmorrhoidalis* eſt *molimen in inteſtinis intimioribus ſpaſmodicum irregulare, ad Hæmorrhoidum promotionem directum*: vel eſt *affectus dolorificus torminoſus è motu inteſtinorum intimioris ſitus immoderate & irregula-*

gulariter ſpaſmodico, *Hæmorrhoidum proſecutioni deſtinato*, *ortus:* qua ipſa definitione *formam*, *ſtatum*, *ſedem*, *ſcopum*, *inſtrumenta* & *differentiam* breviter exponimus & quid *titulus* tractationis noſtræ inferat atque promittat, declaramus.

§. III.

Quantum itaque *generalis* hæc declaratio involvit, mox comparet quod *Colica* hæmorrhoidalis ab *ipſis Hæmorrhoidibus* adhuc aliquo modo *differat*, cum per *Hæmorrhoides* juxta *communem* ſenſum & acceptionem, *actualis* ſanguinis *fluxus* è *locis* hæmorrhoidalibus intelligatur, qui tamen in *colica* hæmorrhoidali *deeſt*, ob cujus *defectum* propterea aut difficilem *ſucceſſum*, hæc *colica adeſt:* neque quidem aliqualem valorem habet *oblocutio*, quaſi hic torminoſus *inteſtinorum* affectus eapropter *hæmorrhoidalis* dici non debeat, quoniam Hæmorrhoides *deficiunt:* etenim licet quidem æque interdum *Hæmorrhoides* ſub *comitatu* talium *ſpaſmorum*, difficilius & *impeditius* ſuccedant, tamen *talis* ſtatus minimè *colicæ* hæmorrhoidalis nomine denotandus eſt, cum hæc alio quodam ſpecimine & pluribus circumſtantiis ſeſe prodat: interea ſub *defectu fluxus* hæmorrhoidalis, hi motus & dolores *colici* tantum inferunt, quod *propter* hunc *defectum* contingant: quapropter hanc *Colicam* motibus, apparatibus, eniſionibus & *eluctationibus*, ſed minus *congruis* adeoque *irregularibus* & *anomaliis hæmorrhoidalibus* annumeramus, qui propterea hoc nomine digni ſunt, quia & *gradu* & *loco* & *methodo*, quibus Hæmorrhoides *legitimè* adminiſtrari deberent, *aberrant* & evagantur: Sed mox alia conſideratio in generica adhuc tractatione, evolvenda occurrit, ad *quas* nimirum *Hæmorrhoides* hæc colica hæmorrhoidalis referenda ſit: ubi ſine ulla tergiverſatione & digreſſione dicimus, quod magis ad Hæmorrhoidum *internarum* ſtatum & negotium pertineat, quoniam 1) in illis *regionibus* affligit,

 git,

git, quas *ramus* & *ſanguis* hæmorrhoidalis *internus* transfluit. 2) quoniam citius Hæmorrhoides *internas turbatas* excipit & proſequitur. 3) quoniam cum *aliis pathematibus* Hæmorrhoidum *internarum* turbas comitantibus, alternat, *communicat* & coincidit, 4) quoniam *citius* & *efficacius* Hæmorrhoidum *internarum* fluxu *curatur* : 5) quoniam illis *ætatibus* facilior & *familiarior* eſt, quibus *internæ* Hæmorrhoides evenire ſolent: 6) quia ex *offenſione* hujus *colicæ* talia *conſectaria* oriuntur, quæ *internas* Hæmorrhoides *offenſas* concernunt: aſt cum *interdum* externæ & internæ Hæmorrhoides *conſentire*, aut illæ in has tranſire videantur, ita non niſi in *reſervato* hoc caſu colica cum *externis* Hæmorrhoidibus complicatur, quando *externi* motus vel fluxus hæmorrhoidales in *internas* converſi, mutati & *transformati* ſunt; quo ipſo vero iterum inclareſcit, quod colica illa, de qua nobis ſermo eſt, *directum* ſuum commercium cum Hæmorrhoidibus *internis* ſervet: quo loco conciliamus verba *Illuſtris Stahlii in Diſput. de Hæmorrhoidum internarum motu cap. III. p. 16. Omnes vero hos, qui ita afficiuntur ad Hæmorrhoides internas ſpectare: imo facile pervenire: & ſi perveniant reliquorum horum ſymptomatum eximia ſolatia perſentiſcere, docebit poſteros circumſpectior clinica Praxis & obſervatio:* conferantur quæ in *præcedentibus* differit, ubi de *Colica Hæmorrhoidali* ſermonem habet.

§. IV.

Nunc brevibus circumſpiciemus quam *cognitus* vulgo in *Medicina Practica* hic affectus eſſe deprehendatur: ubi mox in mentem iterum incidit *elocutio* prælaudati Viri *l. c. p. 15.* ubi aſſerit quod *Hippocrates* paulo *clariorem* „*Ilei Hæmatitis* deſcriptionem ſubminiſtrare potuerit, „quem affectum vero Celeberrimus Vir pro *colica hæmor-* „*rhoidali* habet: addit itaque hæc verba: *ſed abſit ut propterea Viro meritiſſimo aliquid imputari patiamur, cum poſt*

tan-

tantum ab ipſo ſeculorum numerum & inter tot Syſtematicæ Medicinæ ſcriptores nihil amplius hoc negotio dignum peractum, aut ulteriori elaboratione, bona indigitatio noſtri Hippocratis, exaſciata ſit: qua ipſa declaratione indicat, quod hujus affectus conſideratio non multum cognita & commendata ſit. Provocamus itaque hoc loco, quando *teſtimonium* quoddam producere animus eſt, ad ſuffragium laudatiſſimi Viri in l. c. ubi *rotunda* declaratio occurrit, quod *Ileus Hæmatites Hippocratis* à *D. D. Stahlio Colicæ Hæmorrhoidalis* nomine deſignari ſoleat: deſcribit vero *Hippocrates* hunc Ileum Hæmatiten *Lib. de Int. Affectionib.* §. 49. & de hoc Ileo Hæmatite dicit *Exc. Stahlius:* „extra dubi„um poſitum eſſe arbitramur, quod in ipſo etiam Hippo„cratis Ileo torminoſæ illæ paſſiones utique præſto fue„rint, adeo ut quia ipſo nomine illud deſignabatur proli„xiore commemoratione non opus fuerit, ſed tantum re„liqua accidentia, paſſioni huic facile, imo vero perfre„quenter accedentia, connotare viſum ſit: illa nempe „quibus hæc præcipue ſpecies à reliquis, præſertim ve„ro Ileo ſeu torminibus magis in genere diſtinguatur: & licet in l. c. *Hippocrates dolores* illos non alleget, tamen talia *externa phænomena* recenſet, per quæ *ſingularem* ſpeciem *Hæmatitis Ilei* deſcribit: notanter vero hunc *Ileum* vocat *Hæmatitem* nimirum volvulum ſanguineum, ut affectum *inteſtinorum torminoſum ſanguineum* & ab *externis* cauſis, videlicet ab ingeſtis & refrigerationibus, *diſcretum*, proinde etiam hic ſanguineus volvulus *morbidos* ſuos effectus in *diſſita* loca dimittit & ſimul corporis *ſuperficiem* & extremitatem in *conſenſum* trahit: & dum in *Ilei* notione aliqualis *difficultas* occurrit, quid per illam *Hippocrates* intellexerit, ita ex *aliorum* antiquorum *interpretatione* ſignificari & demonſtrari poterit, quod *dolorificum* quendam *inteſtinorum* morbum denotet: exinde facile demonſtrari poteſt, quod *Ileus Hæmatites* ſit affectus *inteſtinorum dolori-*

ficus à cauſa *ſanguinea* pendens, ſive ſanguineus, *qualis* affectus etiam *colica hæmorrhoidalis* exiſtit: & cum notio *colicæ veteribus* non uſitata fuerit, tamen ſub *Ilei* nomine affectus ille intelligebatur: quare *Rolfincius in Epitom. meth. cognoſc. & cur. Lib. 3. c. 13.* dicit: *Sic Galenus III. Epid. Com. 2. ægrot. 9. in explicatione hiſtoriæ mulieris volvuloſæ inſinuare videtur dari ileum in craſſis inteſtinis & Alexander Lib. 10. inquit: Nihil aliud eſt Ileus quam colici affectus intenſio & incrementum:* plura teſtimonia conquirere non volumus, quo vero & illa *certo reſpectu* duci poſſunt, quando *colicæ origines* Hæmorrhoidibus *ſuppreſſis* adſcribuntur; de qua conſideratione pauca verba fecit *Bonettus in Polyalthe* ubi de *colica* tractat: quid quod provocamus ad colicam *hypochondriacorum*, quæ utplurimum pravis & acidis humoribus imputatur, quam vero minime indiſcretim ejusmodi vitioſis ſuccis adſcribendam eſſe judicamus.

§. V.

Sed dum *teſtimonia* talia, Colicæ Hæmorrhoidalis obſervationem confirmantia & illuſtrantia, rariora eſſe deprehenduntur, ita ipſe affectus *infrequentior* & peculiari explicatione indignior judicari *poſſet*, cum forte *ſolenniores* obſervationes in Praxi medica ſeſe comprobent atque commendent: aſt quo hanc *oblocutionem* declinemus, indicabimus *cauſas* quæ in *infrequentiori* hac obſervatione notandæ ſunt: *primo* totum negotium *hæmorrhoidale* non modo pro *inuſitato* & *hodiernis* ævis atque nationibus & naturis *minus* familiari accidente habetur, ſed & pro *fortuito* quodam & *ſymptomatico* effectu declaratur, unde non multa conſideratione dignum eſſe reputatur, adeoque *tota Hæmorrhoidum Hiſtoria* valde *neglecta* fuit & ſi non *craſſa* quædam phænomena ex Hæmorrhoidibus occurrerunt, v. g. *exceſſivi* fluxus atque dolores, *repentini* morbi ex illarum ſuppreſſione orti, vix ulterior animadverſio de Hæmorrhoidibus inſtituta, medicis obſer-

vationibus combinata & inſinuata fuit: unde *in genere* Hæmorrhoidum conſtitutio valde *incognita* eſt: idem etiam valet de *colica hæmorrhoidali*, quæ *tanto magis* incognita eſt, cum *fundamentalis* hujus negotii tractatio valde neglecta fuerit: *deinde* hodienum longe *aliæ* colicæ *ſpecies* obtinuerunt, quibus inquirendis & interdum etiam *ſupervacaneè* accuſandis *major* ſolertia adhibita fuit, ut ob *aliarum* cauſarum *operoſiorem* & *pertinaciorem* indagationem, hæc cauſa, qua *Hæmorrhoides* ad *colicam* diſponere poſſunt atque ſolent iterum *neglecta* & *poſtpoſita* fuerit: & licet porro hæc colica interdum *actu* occurrerit, ut *ingenuum* judicium formari debuerit, quod talis colica ex *Hæmorrhagiis* catotericis *ſuppreſſis* non modo *ortum* traxerit, ſed & cum iisdem adhuc ſatis arctè *cohæreat*, teſtimonio *colicæ* è *Menſium ſuppreſſione* ortæ, aut cum Menſium ſuppreſſione *conjunctæ* & *Hyſtericæ* dictæ, vel colicæ *Hypochondriacæ* vel *Nephriticæ*, tamen juxta *trivialem* pathologiam longe *aliæ* cauſæ conſtanter accuſatæ fuere, videlicet aciditates aliæque ſalinæ dyſcraſiæ genus nervoſum rodentes, pungentes, ſtimulantes, irritantes &c. quales impuritates in inteſtinis hærentes atque collectæ, licet *nonnunquam* ad colica talia tormenta contribuant, non tamen *abſolutè* & *conſtanter* aut *unicè* cauſam colicæ *hyſtericæ* & *hypochondriacæ* conſtituunt: & dum *Hippocrates* in Hiſtoria *Ilei* ſui *Hæmatitis* aliquid omiſiſſe videtur, adeoque concluſio formari poſſet, quaſi ex *eodem* affectu *præſens* hæc hæmorrhoidalis colica *demonſtrari* non poſſet, tamen in præcedenti theſi indicavimus, quod *Ilei* appellatio inter *antiquos colicum* affectum denotet, quod etiam *Mercurialis Variarum Lectionum Lib. V.* atteſtatur, quando dicit: *omnia inteſtinorum atque ventris tormina, uno fere Ilei vocabulo ſignificata apud antiquos medicos intelligunt, qui in ipſorum monumentis diligenter ſunt verſati:* ob id *Ileus Hæma-*

matites non alius affectus eſt, quam *colica ſanguinea*, ſive ex *Menſibus* ſive *Hæmorrhoidibus ſuppreſſis* orta.

§. VI.

Quando nunc a genere ad *ſpeciem* progredi animus eſt, tunc in *Hiſtorica* Colicæ hæmorrhoidalis deſcriptione mox ſignicabimus illos *characteres* per quos hæc non modo *hæmorrhoidalis* colica exiſtit, ſed & ab *alia* colicæ ſpecie *diſcrepat*: 1)enim obſervatur hæc, quam *hæmorrhoidalem* vocamus, Colica, in *ſubjectis* quoad Temperamentum exacte *Hæmorrhoidariis*, neque in *aliis* Temperamentis ita occurrit, prout *communis* & *ſimplex* Colica non æque *certis* Temperamentis reſpondet, ſed in *diverſis* ſubjectis conſpicitur. 2) obtingit etiam hæc Colica hæmorrhoidalis non in alia *ætate*, quam quæ motibus atque fluxibus *hæmorrhoidalibus* reſpondet: cum *alia* ſimplicior colica in *diverſis ætatibus* indiſcretim eveniat 3) ita etiam non alia quam *illa ſubjecta* hæmorrhoidalis colica corripit, quæ *actu hæmorrhoidaria* ſunt & *ante hac* utplurimum fluxum hæmorrhoidalem experiebantur, aut 4) quæ alia actualia *molimina hæmorrhoidalia* & quidem *verè talia* ante hac experta fuere, & cum iisdem interdum *alternant*. 5) quando *fluxus* hæmorrhoidalis in ultima ſua *perruptione impeditus*, aut 6) quando poſt prægreſſam *perruptionem* & liberam continuationem *ſuppreſſus* fuit: ita etiam obſervare licet quomodo 7) ejusmodi ſubjecta *olim nullis* colicis tormentis vexata fuerint, ſed *nunc demum* ſub prædictis circumſtantiis cum iisdem corripiantur: 8) propterea hæc colica non *melius* curatur, quam ſi *hæmorrhoidalis* fluxus *tempeſtivè revertitur* & legitime *progreditur* neque 9) certius *invitatur* & citius *exacerbatur*, quam ſi motus & fluxus *hæmorrhoidales offenduntur* & diutius *reprimuntur*: quare 10) ex *offenſa* tali *colica* hæmorrhoidali eadem pathemata & *conſectaria* oriuntur, quæ ex *Hæmorrhoidalibus* fluxibus

& mo-

& moliminibus *perturbatis* & exacerbatis proveniunt. 11) ſubinde *hæc colica* longe *facilius* quam *alia* ſimplicior & communior in *acutos* effectus & affectus transfigurari poteſt, hinc 12) longe *acerbior*, gravior & impetuoſior, ſed etiam 13) *periculoſior* & magis *præcipitis* aut interdum etiam præcipitati *funeſti* eventus eſt: 14) porro longe *ſenſibilior* eſt quam *alia* colica & 15) per *multa* talia remedia, quæ in *ſimplici* colica *proficua* ſunt, magis *exacerbatur* & viciſſim per *illa* auxilia, quæ motibus *hæmorrhoidalibus* leniendis & tranquillandis *quadrant*, certius *temperatur* & curatur: præterea in *viis hæmorrhoidalibus* 16) majores *alterationes* cauſatur, quemadmodum in *hac* colica plus, quam *alia*, alvus *rigide* conſtringitur atque occluditur 17) quid quod obſervatum fuit, quod *hæmorrhoidalis* colica in quibusdam, quibus motus & fluxus hæmorrhoidales corrupti ſunt, *certis periodis* recurrat & quidem *talibus*, quibus temporibus *olim* apparatus aut fluxus *hæmorrhoidales* invaſerunt: 18) hæc Colica *magis torminoſa*, *minus* vero *flatulenta* eſt, uti in *aliis* colicæ ſpeciebus *plures* flatulentiæ concurrunt 19) præterea *hæmorrhoidalis* colica intenſiores *ſanguinis* commotiones, quæ interdum plane *orgaſticæ* atque *febriles* evadunt, facile in *conſenſum* trahit, id quod in alia ſpecie colicæ tam facile & cito haud contingit: denique 20) hæc colica longe *plura*, *intricatiora*, *inſolentiora & ſenſibiliora* ſymptomata, quam alia colica involvit: Quæ ſingulæ circumſtantiæ prævia quadam conſideratione *indolem* Colicæ *hæmorrhoidalis* denotant, deinde uberius demonſtrant, quod hæc *hæmorrhoidalis* colica exiſtat, denique etiam hujus colicæ *differentiam* ab alia colica *eſſentialem* & *ſpecificam* inculcant, adeoque reliquam hujus affectus Hiſtoriam illuſtrant.

§. VII.

Et ita nunc paulo *proprius* ad *Hiſtoriam* Colicæ hæmor-

C

morrhoidalis delineandam accedimus, ubi primo loco de *frequentia* aut *infrequentia* hujus affectus diſſerrere placet; non jam amplius ad illam oblocutionem retroſpicimus, quaſi hic affectus frequens eſſe haud poſſit, quia infrequens illius mentio inter practicos occurrit; ad quam theſi quinta abunde reſponſum dedimus, illud vero brevibus & quaſi *anticipando* profitemur & confitemur, quod hic affectus *illis* probe cognitus ſit, qui *negotium hæmorrhoidale* condigne intelligunt atque attendunt: hinc aſſeveramus, quod Colica hæmorrhoidalis in *Medicina Practica* haud penitus *rara* ſit, tum ratione *individuorum* collectim ſumptorum, tum ratione *numeri* in *quolibet individuo* ſeorſim, & notabilis eſt Caſus qui *D. D. Præſidi* ante breve tempus contigit, in Viro ultra ſexagenario: qui ante plures annos proximiores hæmorrhoidales motus, imo incipientes fluxus obtinuit, qui cum ob dolores pruriginoſos & quantiſper ardentes, viro moleſti & ſuſpecti fuerint, ita permiſit, quo mediante unguento ex ceruſſa alba, mercurio præcipitato, bolo, oleo hypericonis, ſperm. ranar. &c. parato, hæc moleſtia opprimeretur: abhinc doloribus iſchiadicis & nephriticis, nec non aſthmate periodico corripi cepit, quibus affectibus hactenus per multos annos laboravit: interim harum calamitatum levamen ex uſu congruo VSnis ſenſit: ſed cum per paucos annos in regimine & reliquo vitæ genere variæ turbæ intercesſerint, ita ante triennium æquinoctialibus & ſolſtitialibus temporibus hac colica affligebatur: accidit vero, ut ultimo præterlapſo ſolſtitio denuo hæc colica, licet mitiori gradu, corriperet, quæ tamen mox poſt uſum Pillularum Stahlianarum remiſit, poſteaquam ſub aliquot dejectionibus patiens aliquam quantitatem ſanguinis hæmorrhoidalis evacuaverit: præterito æquinoctio eadem colica mitiori

ite-

iterum gradu inſultavit, poſteaquam iterum eximius error in diæta præceſſit, qui liberiorem Hæmorrhoidum recurſum impedivit: ſed accidit, ut non modo una vice, ſed intra decurſum quatuordecim dierum quater hæc colica recurrerit, ultima vero vice ita extremè vehementer, ut metus mortis inſtiterit: hoc *unico caſu* demonſtramus, quam *frequenter* hæc colica occurrerit, ſiquidem *multiplices alii* caſus hujus colicæ nobis exactè conſtant & *D. D. Præſidi* tam *coram* in praxi medica, quam in variis *conſultationibus* ſub commercio litterario contigerunt: imo provocamus ſubinde ad *alios viros* attentos atque aſſiduos, quibus *negotium hæmorrhoidale* bene conſtat, illi facilè poterunt noſtram declarationem, circa *frequentiam* colicæ hæmorrhoidalis occupatam, ſuo *ſuffragio* confirmare & illuſtrare: & hæc animadverſio tanto magis animos illorum, quibus intereſt, *allicere* & excitare debet, quo *hanc obſervationem* exquiſitè *Practicam*, ſatis quidem *frequentem* atque obviam, *minus* vero *cognitam* atque agnitam *majori* cura attendant atque illuſtrent & ita hunc eximium *defectum* ſuppleant; quippe quæ conſideratio longe majorem *uſum* habebit, quam ſi multa opera aliæ *incognitæ* aut *theoreticæ dyscraſiæ* humorum perorantur.

§. VIII.

Nunc de *ſubjecto* quod Colica hæmorrhoidalis corripere ſolet, verba quædam facere lubet: hoc primo quoad *Temperamenti* rationem penſitandum eſt, *quale* non aliud in ſubjecto eſſe obſervatur, quam *illud* quod *Hæmorrhoidibus*, uti modo notavimus, appropriatum eſt: & ſicut *Hæmorrhoidibus* obnoxii ſunt homines *Sanguineo-Melancholici*, *ſanguineo-cholerici*, *cholerico-ſanguinei*, ita iidem *aliis* motibus & *moliminibus hæmorrhoidalibus* ſubmittuntur: occurrunt etiam in Hiſtoria Medica ſubjecta Temperamenti *cholerico-Melancholici*, quibus *inter-*

dum talia molimina hæmorrhoidalia eveniunt, ſed quæ non ita *prompte* ad *perruptionem* actualem pertingunt, adeoque facilè in *anomalias* hæmorrhoidales degenerant; unde & *hujus* temperamenti ſubjecta ejusmodi *colicis* tragœdiis hæmorrhoidalibus obnoxia facta conſpiciuntur: deinde in ſubjectis annotanda eſt *ætas*, quæ iterum *non alia* huic colicæ accommodata eſſe obſervatur, quam *illa* quæ *Hæmorrhoidum* invaſioni reſpondet, qualis ætas ſeſe è *fine juventutis* usque in *vigoroſam* aliquam aut *tolerabilem* ſenectutem extendit, ni *hæreditaria* quædam diſpoſitio hunc terminum *anticipare* videatur, ubi exempla enarrari poſſent, *juniorum* ſubjectorum, à *parentibus hypochondriacis*, *nephriticis*, *podagricis arthriticis*, *iſchiaticis*, *hæmorrhoidariis*, aut *colico-hæmorrhoidalibus*, *cardialgicis* & *hæmato-emeticis* affectibus vexatis, genitorum, quibus *maturius* talis hæmorrhoidalis *colica* obtigit; quo referimus etiam illas cauſas, quæ *præmaturum* Hæmorrhoidum fluxum atque motum invitant, ut *immoderatiora* exercitia *venerea*, largas *ſpirituoſorum* potuum ingeſtiones, arte *ſtimulatas* copioſas *diureſes*, frequentes *purgationes*, *aloëticorum* indiſcretas & copioſas aſſumptiones, frequentes *operoſas* atque difficiles alvi depoſitiones & liberationes &c. porro in ſubjectis, quoad præcedentes conditiones annotatis, ſimul obſervanda eſt *ratio inconſtantis* & *præcipitis*, aut etiam *impatientis* activitatis, ob quam facile in expediendis & ritè deducendis quibusdam actionibus ejusmodi *evagationes*, & impetuoſæ *anomalicæ* commotiones occurrunt: hinc *eo magis* colicæ hæmorrhoidali ſubjiciuntur homines *ſanguineo-cholerici*, aut *cholerico-melancholici*: quales enim in *moralibus* actionibus ſunt, tales utplurimum in *vitalibus* eſſe deprehenduntur: accedit & illa conditio ſubjecti, quod tunc in *hæmorrhoidario* facilius præſens colica invadat, quando in eodem vel conſueta major *ſenſibilitas*

in *inteſtinis* adeſt, per quam facile *juſtus* periſtalſeos gradus alteratur, licet non æque *alia* colica tormenta *præcurrerint*, tunc *Hæmorrhoidum turbæ* aut impedimenta facilius in talem affectum delabuntur; vel quando in tali ſubjecto *alvina* excretio *facile turbari* ſolet, aut conſuetis *irregularibus ſucceſſibus* obnoxia eſt: unde evenit ut *ſupervenientes* conatus *hæmorrhoidales* magis intimiora loca & *confinia* hæmorrhoidalia aggrediantur & *colicas* tales afflictiones conſtituant: denique etiam in ſubjecto *ſexus* conſiderandus eſt, cui videlicet hæc colica familiarior eſſe obſervetur: ibi ipſa *Hiſtoria* loquitur, quod *Hæmorrhoides* magis *virili* ſexui eveniant; cum itaque hæc *colica* cum *Hæmorrhoidibus* connectat, ita in *viris frequentius*, quam in fœminis obſervatur: interim in fœminis interdum occurſans *colica hyſterica* ejuſdem *indolis* exiſtit, quæ vero cum *Menſium* negotio plus *cohæret*, uti noſtra colica cum *Hæmorrhoidibus* magis conſentit.

§. IX.

Quod vero ipſam hanc Colicam concernit, tunc aliquando *tacite* & ſua *ſponte* ſubjecta corripit, nonnunquam *leves impulſus* aut *adventitia* irritamenta ſequitur: præcipue vero aut antecedunt, aut concurrunt *liberæ* excretionis *alvinæ* turbæ, quæ videlicet in *defectivo* ſucceſſu conſiſtunt; ipſe affectus vero admodum *evidens* & *dolorificus* exiſtit: dolores ſunt exquiſite *colici*, nimirum *torminoſi*, *contractorii*, *dilacerationem* quaſi inteſtinorum minantes & vehementes & contumaces: accidunt etiam moleſtæ & ſuſpectæ *retractiones ani*, ut aliquando neque *fiſtula clyſtica* applicari, neque ipſum clyſma *intra inteſtinum* infundi queat: proinde etiam concurrunt vehementes *ſpaſmodicæ* commotiones & conſtrictiones *meſenterii*, quæ cum extremis *doloribus* ſeſe produnt & aliquando cum maxima vi regionem umbilicalem *retrahunt*: & hic doloris gradus longe *acerbior* eſt, quam in *alia* colica: &

 quan-

quanquam vulgo colica pro affectu *inteſtini coli* habeatur, tamen hæc *hæmorrhoidalis* colica *intimius* progreditur & *ilia* interdum occupat atque affligit, licet per *intervalla* cruciatus *ad colon* inteſtinum propius accedant, interea vero *alvus* rigide & firmiter *clauſa* manet: præter hos dolores aliquando corpus *externum* horripilatio percurrit, interdum *internus ardor* angit, quidquod nonnunquam *æſtus volaticus* ſupervenit; affligit *cardialgia*, *angor animi*, eximia *laſſitudo*, quo magis *ſuperius* adſcendunt dolores eo magis *caput* in conſenſum trahitur, quod ſatis ſenſibiliter dolere incipit, interdum evenit, ut, ſi colici hi dolores *vagabundi* ſunt, in *lumbares* cruciatus & quaſi *nephritica* tormenta convertantur: præterea magnam *anguſtiam* inferunt & quandoque plane *ſtrangulatorios* & *ſuffocativos* metus involvunt: *exſiccantur* interea fauces, accedit *ſitis*, & patientes ſunt valde afflicti atque inquieti: interdum intercurrunt *murmura*, *borborygmi* & *flatulentiæ*, aſt minime multæ; deinde hæc colica *gravitatem* ſuam *durabilitate* demonſtrat, ſiquidem haud ita *facile* atque *cito* remittit aut ceſſat, ſed per *plures* horas continuat: quando hi dolores *intimius* in inteſtina *tenuia* penetrant, admodum *vagus* eſt affectus & adhuc *altius* adſcendit, ut denique *ventriculum* unà occupet; de qua circumſtantia mox dicturi: interim *ſimplicior* ſedes hujus affectus in *craſſis* inteſtinis eſſe deprehenditur: raro in *alvinam* dejectionem *ſpontaneam* tranſit; *mitior* tamen ſtatus eſſe obſervatur, quando talis *depoſitio* alvina ſupervenit, quæ tamen utplurimum cum *ſenſibilibus torminibus* conjuncta eſt, concurrente *moleſto conatu* in *inteſtino recto* urgente & ad *dejectionem alvi* collineante, ut & affligente dolorifico *teneſmo*; ubi denique ſub tali *indolente* & *impedito* actu *excretorio* pauca *ſanguinolenta* materia profunditur; qualis tamen anxia & *difficilis excretio* affectum *nihil* levat: quando itaque *congrua* medela adhibita fuit, aut quando ſub *tranquillo* regimine

hic

hic affectus defervuit, tunc *ſucceſſive* acquieſcit & multam *viſcerum internorum* & reliquarum virium *laſſitudinem* poſt ſe relinquit: quidquod ita affecti bene ſibi *moderari* debent, ne ex ulla *levi* offenſione hoc malum *denuo* provocent.

§. X.

Et ita *potiora* ſigna, quibus Colica Hæmorrhoidalis ſeſe ſiſtit, denominavimus: peculiarem vero attentionem meretur illa *eximia evagatio* hujus colicæ, ut modo tormina illa *ſurſum* adſcendant, modo immoderati illi *ſpaſmi* ad *externa* delabantur, cujus circumſtantiæ teſtem al.egamus *Illuſtrem Stahlium* qui in *diſp.* allegata *p.17.* ita lc-„quitur: Ileos Hæmatites Hippocratis eſt affectus tormi-„noſus, propter cauſam ſanguineam, nempe Hæmorrho-„ides internas, ſeu Colica hæmorrhoidalis: & hic affe-„ctus facile & frequenter ab internis illis ſuis moliminibus „preſſoriis, ſtrictoriis, ad ſanguinis reſtrictionem ad ex-„itum inteſtini deſtinatis, perfrequenter evagatur, par-„tim ad ſuperiora, partim ad exteriora, præcipuè tamen „tunc etiam verſus inferiora: quod enim hanc *evagationem* verſus *ſuperiora* attinet, tunc illa vel *ſponte* contingit, vel per *malum regimen* & *incongruam medicationem* invitatur: & quidem quod *poſteriores* circumſtantias concernit, præcipuè accuſari debet *inquietudo* & *impatientia* aut multa jectigatio ægrotantium, quæ ſub urgentibus *anguſtationibus* occurrit, nec non frequens corporis, imprimis *abdominis* & *pectoris* refrigeratio, quæ ſub tali impatienti regimine ſuccedit: huc referimus ingeſtiones *incongruorum* auxiliorum, ut ſpirituum *ardentium* aliorumque *calefacientium* ſubjectorum, quæ non modo ad internos *ardores*, ſed & ad ſupervenientes *vomitus* diſponunt, hinc in *hypochondriis* & *ſuperioribus* inteſtinis, nec non plane in *ventriculo* & *diaphragmate* contumaces & immoderatæ illæ *ſpaſmodicæ* conſtrictiones & torminoſæ *obſtipationes* atque

con-

contractiones contingunt: ob id patientes ſub *præcordiis* extremas *anguſtationes* percipiunt, *dolorem* vehementem in affectis locis ſentiunt, ut & moleſtiſſimam *ſtrangulationem* & *reſpirationis* oppreſſionem admodum magnam accuſant: præterea ſub hac calamitate ad *vomendum* ſatis frequenter urgentur & cum multis *doloribus* atque *anguſtiis* evomunt, & in *tali* ſtatu maxime *exacerbatus* eſt affectus, neque ita facile aut cito *remittit*: quando vero in *inferiores* regiones iterum *deſcendit*, tunc iterum ſpes *remiſſionis* affulget: quo magis atque *diutius ſuperiores* regiones detinet & affligit, eo certius ſimul *caput* turbatur & in *conſenſum* trahitur: quando vero in *externas* partes hi motus ſpaſmodici *evagantur*, tunc *tam diu* in inteſtinis *acquieſcunt*, quam diu *in aliis* locis ſæviunt: hinc excurrunt utplurimum in *inferiorem dorſi* regionem, qui dolores propterea *alternant* cum reliquis *colicis* tormentis: illud etiam adhuc ſemel hoc loco inculcamus, quod utplurimum huic colicæ hæmorrhoidali *conjungantur* alia pathemata *hypochondriaca* ſpaſmodica, *Venæ Portæ* diſperſionem valde affligentia, adeoque hanc *colicam* eo magis *exaſperantia*: ut ita in hac colica non modo *inteſtina* laborent, ſed & *ventriculus*, *Hepar*, *Splen*, *diaphragma* interdum in conſenſum trahantur: quodſi etiam contigerit, ut in ejusmodi ſubjectis *dyſcraſia* quædam *ſanguinis* concurrat, tunc *applicari* poſſunt illa, quæ *Hippocrates* ſpeciali quadam nota de ſuo *Volvulo ſanguineo* ſive *Ileo Hæmatite* protulit, in loco ſuperius citato, ubi dicit: *hæc vero in morbo accedunt* (προσγίνεται inſuper fiunt, ſuperveniunt, adduntur; tanquam ſymptoma aut acceſſorium quid adnaſcitur; eoque ipſo indicat, quod primario in hiſce phænomenis quaſi *eſſentialiter* affectus non conſiſtat, ſed quod *alia principaliora* ſigna in *hoc Ileo* notari debeant, quæ quidem ita *diſtinctè* & *expresſe* Senex non deſcribit: niſi dicat: *reliqua quidem eadem patitur cum prioribus*) *ex ore male olet à dentibus & gingivæ abſ-*

abſcedunt, & â naribus ſanguis fluit: aliquando etiam ex cruribus ulcera pullulant & alia ſaneſcunt, alia emergunt; & color niger fit, & cutis tenuis: qualis deſcriptio in Ilei Hæmatitis commendatione Hippocratica occurſans ſimul affectum *Hypochondriaco ſcorbuticum* denotat: conferatur pluribus *Diſputatio D. D. Præſidis de Hæmorrhoidum Conſenſu cum Scorbuto.*

§. XI.

Dum adhuc in Hiſtorica Colicæ hæmorrhoidalis explicatione occupati ſumus, nunc placet illius reliquam conditionem & *ſalutares* atque *ſiniſtros eventus* recenſere: quoad *prius* hæc colica hæmorrhoidalis admodum *ſenſibilis* eſt & facile *exacerbari* poteſt, adeo ut in *periculoſiores* evagationes deſinat & *primam* ſuam *ſedem* deſerat: propterea in ſubjecto, quod ſemel apprehendit *frequentius* recurrit, ſed certe ſub tali *recurſu* utplurimum *immoderatior* evadit aut denique etiam *inſoleſcit*, atque ſucceſſive *alia* pathemata, *ſuſpecta* & *contumacia* infert: eo certius vero per *multitudinem* remediorum ingeſtorum *augetur* & in *periculoſos* interdum eventus conjicitur, ſi præcipue talia remedia *minus congrua* fuerint: ratione *eventus* ſui hæc *hæmorrhoidalis* colica, illud cum *alia* colica *commune* habet, quod *citius* remittat, ſi immoderata illa alvi *ſtrictura* reſeratur & *lenitur*; deinde facilior *remiſſionis* impetrandæ ſpes eſt, quando hæc colica *ſedem* ſuam, quam ſemel occupavit, *non mutat*, neque admodum *vagabunda* eſt: *ſiniſtre* vero & male excurrit, ſi *obſtructio* alvi *pertinaciter* continuat, ſi *internus ardor* urget, ſi *febris* accidit: unde affectus *perfecte Ileodei* obſervati ſunt, quod huic colicæ *ſupervenerint:* maxime vero periculoſus eſt ſtatus, quando *interna inflammatio*, nimirum in inteſtinis craſſis accidit, quæ facile in *gangrænam*, imo in funeſtum illum *ſphacelum* degenerat; unde *diuturna* alvi obſtructio in hoc affectu *ſiniſtri* eventus metum incutit: & conſtant certe

luctuoſi caſus in quibus ob *negligentiorem* alvi promotionem ſupradicti *iliaci* affectus orti fuerunt, imo *actuales* internæ *inflammationes* natæ ſunt, aut quomodo ob immoderatã alvi *exſtimulationem* eædem periculoſæ *internæ* inflammationes ortum traxerint; neque quidem, ut ſupra indicavimus, *difficiles* & operoſæ alvi depoſitiones cum *teneſmis* conjunctæ & leviter *ſanguineæ ſtriatæ* dejectiones, affectum hunc *levant*, quin potius *moleſtias* augeant & imperfectos atque *anomalicos* eventus *hæmorrhoidales* conſtituant: quando interdum Colica hæmorrhoidalis *mitior* eſt atque *inferiora* inteſtina detinet, tunc patientes *ſpecialem* quandam moleſtiam ſentiunt, quaſi *in* hiſce *inteſtinis* moleſtum quicquam *hæreat*, quod *preſſoria* quadam efficacia ſeſe exſerit, adeoque ejusmodi ſubjecta ad alvi depoſitionem *ſtimulum* quendam perſentiſcunt: interdum hæc colica hæmorrhoidalis ita excurrit, ut dolores colici quidem *remittant*, ſed *iſchiadici*, *lumbares* & *nephritici* dolores in mitiori gradu ſuperveniant, inſiſtant atque continuent & quando illa ceſſavit, impoſterum cum affectibus *cardialgicis*, *hypochondriacis*, *iſchiadicis* & ſimilibus *alternet*; neque quidem *bonum* ſignum exhibet, ſi poſt *ceſſationem* alvinæ excretionis *irregularitatem* relinquit: quod ſi vero ullus exitus hujus colicæ *anceps* fuerit, tunc eo certius futura *graviora* damna imminentia denotat, ut prudens artifex ejusmodi *ambiguo* eventui haud fidem dare neque in illo ſecurus & negligens eſſe debeat.

§. XII.

Hæ conſiderationes *præparant* præſentem tractationem, quo *Prognoſticam* Colicæ hæmorrhoidalis deductionem huic hiſtoricæ explicationi ſubjungamus: ipſa Colica hæmorrhoidalis in ſe ſpectata eſt *aberratio* à vera methodo, qua *fluxus* hæmorrhoidalis *legitime* adminiſtrari debebat, unde *anomaliis* hæmorrhoidalibus annumeranda eſt, quæ nullas *bonas* conſecutiones involvunt: tanto *dete-*

rior

rior vero hic affectus eſt, quo *impetuoſior* atque *frequentior* eſt: imo eo *immoderatioris* indolis exiſtit, quo magis *vagabundus* eſſe obſervatur: ut & eo *gravior* & inſolentior plerumque evadit, quo magis è *repentina* ſuppreſſione *liberioris* fluxus hæmorrhoidalis ortum traxit: omnis *diuturna* alvi occluſio, quæ hanc colicam comitatur, *prava* & ſuſpecta eſt & non modo affectum in ſe *acerbiorem* reddit, ſed & *alia periculoſa* ſymptomata invitat: ſubinde etiam *contumax* & rigida *inteſtini recti* & *ani* conſtrictio mala eſt, atque acerbiorem affectus ſtatum denotat: quando colica hæc in *ſuperiores* regiones adſcendit & ſimul *caput* & *pectus* in conſenſum trahit, immoderatioris magisque *refractariæ* indolis eſt: quando *vomitus ſimplices* involvit acerbior exiſtit, neque ita cito complacari poteſt: tanto magis vero ſuſpectus eſt *vomitus cruentus*, ſi in eundem hæc colica *convertitur*, aut deſinit, unde eo magis *anomaliæ* hæmorrhoidales augentur, *exacerbantur* & confirmantur, eoque difficilius *verus* Hæmorrhoidum *fluxus* reſtitui poteſt: quando vero poſt *prægreſſam* Colicam hæmorrhoidalem Hæmorrhoidum *fluxus tempeſtivè* revertitur & *legitime* ſuccedit atque repetit, *bonum* eſt ſignum, atque *colicam* illam invaſionem futuram *avertit* & præoccupat: quando ſub *acerbiori* hujus colicæ decurſu multus *internus ardor* concurrit, *malum* eſt ſignum & de imminente vel præſente *interna* periculoſa *inflammatione* teſtatur: ita etiam multa & urgens *ſiticuloſitas*, cum interno *ardore* concurſans, non boni ominis exiſtit; quod perinde de eo valet, quando ſenſibiles *extremitatum horripilationes* cum *internis ardoribus* concurrunt: acceſſus *febrilium* commotionum affectum graviorem, acerbiorem & *periculoſiorem* eſſe indicat: præterea commotiones *ſingultuoſæ* huic colicæ *ſupervenientes*, periculoſæ ſunt & facile in *funeſtum* exitum propendent: *repentinæ* & ſimultaneæ dolorum *amiſſiones* non boni ominis ſunt, quia *ſphaceli* præſentiam in inteſti-

 nis

nis indicant: quando cum hac colica *cholerici* affectus ſymptomaticè concurrunt, non modo eo *vehementior* & acerbior totus morbus eſt, ſed & eo *periculoſior*, quia facilius *inflammatorii* affectus accedunt: multa aut repentina *virium* amiſſio in hac colica *malum* ſignum exhibet: *affectus* vero qui ex hac colica *infeliciter exeunte* oriuntur, ſunt *iliaci*, *inflammatorii*, *ſphaceloſi*, *indurationes* viſcerum, ſuſpecti *ſcirrhi*, contumaciſſimæ *alvi obſtructiones*, *cardialgiæ ſuffocativæ*, *aſthmata ſpaſtica*, *convulſivi hypochondriaci*, & *hæmato emetici* affectus, aut denique *tympanitici*, *nephritici*, *aſcitici* & *hectici*.

§. XIII.

Poſteaquam hactenus *Hiſtoria* Colicæ Hæmorrhoidalis pertractata fuit, ita nunc ad *Pathologiam* ejusdem progredimur: ubi mox ex *ſuperius* prolatis indicamus, quod hic affectus ſit *molimen naturæ irregulare*, per quod *Hæmorrhoidum* ſucceſſum atque exitum eadem *urget*, ſed non facile *impetrat*, quia à *genuina* methodo *deflectit*, ea propter etiam mirari haud convenit, cur hic affectus, dum ita decurrit, *præfixum* finem non aſſequatur: quod vero hæc colica molimen *hæmorrhoidale* ſit, non modo ex *ſupradictis* innoteſcet, ſed & *ex eo* ulterius *demonſtrari* poteſt, quod ad *fluxum* Hæmorrhoidum *in genere* requiratur *auctior toni* gradus, in *congeſtoria* commotione conſiſtens, hic vero quia non multum a *ſpaſmorum* gradu & ſtatu *diſcrepat*, facile in ſpaſmodicas commotiones *tranſit*, quando *difficultates* quædam in hoc negotio intercidunt, ut propterea „*Excell: Stahlius diſp: all. p. 15.* dixerit: quicunque manifeſto hæmorrhoidarii ſunt, tum antequam Hæmorrhoidarii fiunt, tum antequam Hæmorrhoides ipſis perrumpunt, tum quando redeunt, tum quando impeditius procedunt, certiſſime & manifeſtiſſime torminibus, Anguſtiis, Preſſionibus atque tenſionibus circa præcordia, (ſeu „ut vere nominant Græci, ὑποχόνδρια) communiſſime & „quan-

„quantum obſervare licebit, numeroſis ſane exempli, „quaſi eſſentiali indiviſo ſymptomati, certo obnoxii ſunt: Ex eo itaque tales motus *ſpaſmodicos*, *preſſorios*, *tractorio*, *torminoſos*, *tenſorios* in *certis* locis & ſub *certis* circumſtantiis obtingentes *moliminibus* hæmorrhoidalibus annumeramus: ſed cum hæc colica conſiſtat in tali motu, ita *conſentientibus* reliquis circumſtantiis, quæ in *alia* colicæ ſpecie *deſunt*, eandem molimen *hæmorrhoidale* vocamus, tanto magis vero ſi alteram *parallelam* circumſtantiam perpendimus, quod videlicet tunc *communiter* motus *hæmorrhoidales* in *ſpaſmos* increbeſcant & exardeſcant, ſi quædam *difficultates* in adminiſtrandis & abſolvendis *Hæmorrhoidibus* occurrunt: ſed cum ad *colicam* hanc *hæmorrhoidalem* utplurimum *primaria* cauſandi ratione ejusmodi *impedimenta* fluxum hæmorrhoidalem concernentia contribuant, ita ex hac etiam animadverſione demonſtramus, quod hæc colica molimen hæmorrhoidale exiſtat: eo magis vero hanc noſtram aſſertionem confirmat conſideratio, quod in *hac colica*, hi motus, quibus *alias* negotium *hæmorrhoidale* abſolvitur, in *illis locis* ſuccedant, per quæ *ſanguis hæmorrhoidalis* refluo ſuo motu progreditur: ubi iterum infirma erit oblocutio, quaſi hæc colica cum Hæmorrhoidibus non cohæreat, quia dantur *aliæ* colicæ *ſpecies* quæ non ſunt hæmorrhoidales & quia communiter hæc colica ad *veram eruptionem* hæmorrhoidalem non pertingit: cui contradictioni ſatisfacit quoad *priorem* animadverſionem, quod unius rei *plures* poſſint eſſe *cauſæ* atque *fines*; quoad *poſteriorem* vero quod *incongrua* methodus in *omnibus* humanis actionibus tam facile & directè *finem* præfixum *haud* obtineat: neque etiam hoc loco & in hac demonſtratione aſſerimus, quod motus *ſpaſmodici* in *abdomine* occurrentes, tantum, *nude* & *unicè* Hæmorrhoidum eruptionem reſpiciant, quorum tamen effectus ſunt *multiplices* & *deſtinationes* diverſæ; interim de *his ſpaſmis*,

D 3 qui

qui in *colica hæmorrhoidali* ſub ſingulis recenſitis & prædictis circumſtantiis atq; phænomenis occurrunt, prædicamus, quod unicum ſuum *primarium reſpectum* habeant ad *Hæmorrhoides* profundendas: propterea vero hanc colicam vocamus *molimen* aut conatum, quia motus in eodem ad *actualem* perruptionem *non* perveniunt, ſed tantum in *eluctatione* tali perſiſtunt, qui propterea ita *dolorifici* ſunt, quia ob effectus *ſalutaris* defectum partes affectas *ſenſibilibus* conſtrictionibus affligunt atque detinent.

§. XIV.

Eſt proinde Colica hæc *molimen naturæ*, minime vero *tumultuarius* turbulentus & *mere præternaturalis* quidam motus, quales vulgo vel *corpori*, vel cauſis *externis* atque *confuſis* imputantur: quod vero *naturæ* adſcribendus ſit hic ſpaſmus, ex copioſiſſimis rationibus demonſtrari poſſet, ſed cum hæc diſquiſito multis occaſionibus inſtituta & confirmata fuerit, ita placet hac vice nos circa illam repetendam & inculcandam brevibus expedire: haud vero amplectimur *veterum* opinionem, qua aſſeruerunt, quod natura ſanguinem *impurum*, *fæculentum*, *acidum*, *atrabilarium* in *ſplene* ſequeſtratum per *Hæmorrhoides* excernat, quo ipſo hoc negotium *naturæ* attribuerunt: neque vero viciſſim admittimus & amplectimur illam ſententiam, quaſi fluxus hæmorrhoidalis *fortuito* contingat, cui aſſerto multæ rationes obſtant: ſed aſſeveramus, quod, cum *legitimus* Hæmorrhoidum ſucceſſus ſemper *ſalutaris* exiſtat, neque *quibuslibet* motibus, ſed plane *proportionatis* motuum gradibus adminiſtretur, minime ipſum negotium hæmorrhoidale *morbidis* & *turbulentis* motibus atque effectibus imputari debeat, unde *naturam* quæ corporis *integritati* & conſervationi proſpicit, Hæmorrhoidum *efficientem* cauſam eſſe inferimus atque demonſtramus: hæc vero cum *non ſemper* ad fines *propoſitos* ob varia impedi-

dimenta & *offendicula* pertingere poſſit, ita quidem non penitus ab *omni conamine* abſtinet, neque ita *ſimpliciter* otioſe & *negligenter* corpus ſuum *imminentibus* periculis ſubmittit, ſed nihilominus ad *averruncanda* damna qualitercunque vires atque *motus* applicat, proptereaque *ſalutarem* finem *proſequitur*, licet non *impetret*: illud enim *temerarium* atque *impudens* opus eſſet, ſi quisquam à natura *rigoroſe* urgere & poſtulare vellet, quo ipſa *ſemper* ſuos ſcopos aſſequatur, cum non raro *eximiæ* ejusmodi difficultates intercurrant, quas eadem ſub reliqua bona ſua *intentione* ſuperare haud valet: quo magis vero neceſſaria atque *ſalutaris* eſſet Hæmorrhoidum *perfecta* adminiſtratio & quo magis *ſonticæ* quædam difficultates hoc negotium premant, eo *majori conatu* ad deducendas & perrumpendas *Hæmorrhoides* natura tendit: quippe quæ aſſertio & demonſtratio non *ſupponitur*, ſed perſpicuè *confirmatur* cum *moralibus* hominis actionibus, in quibus *eadem methodus* operandi & præfixas utilitates acquirendi occurrit, ita ut non neceſſe habeamus *extra hominem* laborioſas & *obſcuras aſſimilationes* conquirere, ſed *in ipſo homine* functiones *exquiſitè parallelas* valde *frequenter* obvias allegare & commendare: id quod non modo de *veritate* & *certitudine* ſed & de *perſpicuitate*, *ſinceritate* & *dignitate* ſententiæ & demonſtrationis noſtræ teſtimonium perhibet: ex quo itaque colicam hanc *naturæ actum* & conatum eſſe & non a *nudo corpore* dependere, neque *turbulentis* & *fortuitis* commotionibus accenſendam eſſe, declaramus, ita quidem ut indicemus, hunc motum *efficienter* dependere à *natura*: naturam per illum proſequi *fluxum* hæmorrhoidalem, ſed quia illius *liberum* ſucceſſum ſingularia *impedimenta* premunt, ita eadem *eminus* ad illius deductionem tendit, ſed eo ipſo in *methodo* operandi quantiſper *deflectit* & irreguraliter procedit, licet *pri-*

maria

maria ejuſdem *intentio* ad hunc *ſcopum* collineet; unde mirum eſſe non poteſt, cur illa ſub tam ſtrenua & *impatienti eluctatione* ad propoſitum ſcopum non perveniat.

§. XV.

Ex eo etiam facilè eluceſcet, quod ſimplices atque *turbulenti* ſpaſmi non ſufficiant ad *Hæmorrhoidum* adminiſtrationem: & quamvis hæc Colica in *vehementibus* torminibus conſiſtat, tamen *rariſſimè* actualis perruptio & ſanguinis profuſio inſequitur: unde colligere licet, quod ad *hæmorrhoidalem* fluxum *exquiſita* motuum *congeſtoriorum* aliorumque *ſtrictoriorum* directio & *applicatio* requiratur: ex eo vero haud concludere fas eſt, quia motus *torminoſi* in colica hæmorrhoidali non ita exacte *effectui* perrumpendarum Hæmorrhoidum *quadrant*, ergo *hæc* colica cum *Hæmorrhoidibus* non *conſentit*: cui oblocutioni ſolvendæ paſſim regeſſimus, quod *propterea* hi motus ad effectus congruos non pertingant, quia ſunt *vehementiores*, deinde quia *eminus* & non in *proximis* locis hæmorrhoidalibus exercentur; Quod enim *ipſos motus* attinet, tunc illi de eadem proſapia motuum ſunt, quibus *in genere* Hæmorrhagiæ adminiſtrantur, videlicet motus *tonici*, ſtrictoria efficacia in partibus *fibroſis* & *tunicaceis* operoſi, qui in negotio *Hæmorrhagiarum* moderatis *congeſtionibus* aliisque aptis *ſtricturis* palmarium adminiculum & medium conſtituunt, per quod ex certis & *aptis* locis ſanguis *expelli* poteſt; quando vero talis motus in *impetuoſos* ſpaſmos mutatur, tunc nullibi condigne *ſatisfacit*, quod congrua Hæmorrhagia celebretur & perficiatur: etenim ſi *in ipſo* illo loco, in quo *perruptio* contingere debet, tales ſpaſmi fiunt, tunc neceſſarius ſanguinis, qui effluere deberet, *aditus* impeditur & *reprimitur*: ex eo in experientia clarum & probatum eſt, quod nimii *teneſmi* liberum Hæmorrhoidum ſucceſſum admodum im-

impediant: quod ſi vero in *remotioribus* locis tales *ſpaſmi* contingant, tunc perinde juſtam *concentrationem* ſanguinis ad *orificia* vaſorum ſanguiferorum, circa quæ *eruptio* fieri debet, turbant, interim *tantum* quidem efficiunt, ut ſanguis *circa* illa loca *affluat* & per eadem valide *transprimat*, (è quo effectu non raro major *calor* in affecto loco, imo interdum plane *ardor* oritur) ſed non facile *perrumpat*: aliàs ſi ſolus & *vagus* inteſtinorum ſpaſmus ad *perrumpendum* ſanguinem ſatisfaceret, non modo in *omni colica* indiſcretim, ſed & in *omni malo hypochondriaco* & *hyſterico* actualis vaſorum ſanguiferorum *perruptio* contingere deberet, quod poſterius vero experientiæ repugnat: Et hi ipſi quidem ſpaſmi in colica hæmorrhoidali, ita *vehementes* atque impetuoſi ſunt, ut *acerbitate* reliquas colicæ ſpecies ſuperent; propterea quidem, quia ad tam *ſenſibile* opus inducendum & abſolvendum reſpiciunt, deinde ſub tot *difficultatibus*, quæ Hæmorrhoidum negotio inductæ fuerant decurrunt, ut & quia juxta *concurrentium* circumſtantiarum indolem *utilitas* & *neceſſitas* hæmorrhoidalis fluxus adeo *prægnans* & eximia exiſtit, propterea hos *ſpaſmos* in hoc molimine ita *impatientes* & *vehementes* eſſe dicimus: & iidem ſpaſmi præcipuè in *inferioribus* regionibus inteſtinorum celebrantur, unde juxta *Galenum* Ilei geneſis etiam *craſſis* inteſtinis admittitur: eſt vero hic Ileus Hæmatites in *hiſce inteſtinis*, quia hæc regionis hæmorrhoidalis *confinia* conſtituunt; ut ita palam fiat, cur natura in hiſce locis hos cruciatus ſpaſmodicos exerceat, qui in *alia* colica *alias* inteſtinorum *regiones* detinent: ex quo eò rectius inferimus, quod *hæc colica*, de qua loquimur, ad *hæmorrhoidalem* fluxum referenda ſit, quoniam in *confiniis* locorum hæmorrhoidalium & ubi hæmorrhoidalis *interna* vena diſcurrit exercetur: dum vero hi vehementes ſpaſmi inteſtinorum *texturam* adeo *firmiter*

 con-

conſtringunt, ita perinde *neceſſarium affluxum* ſanguinis ex arteriolis, & debitam *congeſtionem* ad loca *idonea* in quibus perruptio contingere poſſet & deberet, alterant, ut ob id hac methodo hæmorrhoidalis fluxus impetrari haud valeat.

§. XVI.

Interea hoc *molimen* hæmorrhoidale non ab *omni errore* immune, ſed rectius *irregulare* eſt, ſiquidem indicato modo tum quoad *gradum*, tum quoad locum exorbitat: neque æque ita *infallibilis* & ab omni errore libera eſt *natura*, ſed variis occaſionibus ob diverſas cauſas in aberrationes prona eſſe deprehenditur, quemadmodum in *moralibus* non *infrequenter* diverſi *ſalutares* fines ſub variis *ataxiis* & *amethodiis* inquiruntur atque urgentur, ut ita *paritas* aberrationis in *vitalibus* & *moralibus* functionibus elucefcat: in tantum vero aliquid negotio hæmorrhoidali *conforme* in hoc *erroneo* actu perpetrat natura, dum circa loca hæmorrhoidalia, adeoque in *confiniis* hoc molimen exequitur: ad hanc *irregularem* Hæmorrhoidum proſecutionem disponit, *ſenſibilis* & repentina negotii hæmorrhoidalis *perturbatio* atque oppreſſio, ex qua id inducitur, quo impoſterum natura in *Vitali* agendi *ordine* certo reſpectu hujus perturbationis *conſcia* atque memor, non facile in *proximis* locis hæmrrhoidalibus hunc fluxum *proſequatur*, attamen de illius *utilitate* & *neceſſitate* certa, eundem in vicinis locis tanto majori *impatientia* atque *audacia* urget, quo magis aliàs talia *ſubjecta*, quoad operationes ſuas *impetuoſa*, præcipitia & immoderata exiſtunt, aut quo magis à *juſtis* viis natura *repreſſa* & in *conſueto* ſuo ordine *turbata* fuit, vel quo *craſſius* hoc negotium *Hæmorrhoidale* & ſubjectum *ſenſibile offenſum* fuit: ſubinde vero ad ejusmodi colica molimina hæmorrhoidalia *impulſiva* cauſandi ratione per antecedentem concurſum

diſ-

diſponit, *ſucceſſiva* alvinæ excretionis *oppreſſio*, quæ impedit quo minus *juſtè* in genuina & *proxima* loca hæmorrhoidalia *apti* & ſatisfacientes *motus* applicari queant, ut iidem propterea quaſi *à tergo* & in aliqua *diſtantia* adminiſtrentur: accedit *cholerica* quædam afflictio, quæ ſimul in idoneo ſubjecto imminentia aut conſueta molimina excitat, quo *uno actu* eo majori impetu decurrant: huc porro contribuunt *vitia diætæ* & externa *refrigeria*, quæ aliàs in *genere* ad colicas afflictiones provocandas concurrunt, ſed quæ in ſubjecto *hæmorrhoidario* ad motus hæmorrhoidales facili atque *adſueto*, aut Hæmorrhoidum *ſuppreſſione* laborante, facile ad hanc *ſpecialiſſimam* & hæmorrhoidalem quidem colicam disponunt: neque oblivioni tradere placet, quomodo non modo in *genere* inducta ſanguinis *ſpiſſitudo* ad *anomalias* hæmorrhoidales cauſandas quadret, ſed & quomodo *ſeorſim* ad præſentem affectum conciliandum apprime ſatisfaciat, dum ob ſanguinis *immobilitatem* attamen *&* *utilitatem* adminiſtrandarum Hæmorrhoidum motus hæmorrhoidales in tam *impetuoſum* gradum increbeſcunt, propterea iidem in *remotiori* loco ad & verſus proximiora hæmorrhoidalia loca ſanguinem urgentur atque impelluntur: inter alias cauſas *impulſivas* & hanc colicam provocantes obſervare licet, quomodo *crudiora* & *largiora* remedia *aloëtica* apta ſint, quo talem affectum excitent: neque quidem negamus, quod aliquando *alia* colicæ ſpecies ex appropriatis *ſuis* cauſis commota, hanc *hæmorrhoidalem* in ſubjectis *hæmorrhoidariis* in *conſenſum* trahere ſoleat; ſicut in Hiſtoria Practica plures tales complicationes morborum, quodantenus *cohærentium*, occurrunt; ut propterea viciſſim *illæ* cauſæ, quæ ad *ſimplicem* colicam excitandam capaces ſunt etiam *hæmorrhoidalem* interdum provocare poſſint atque ſoleant.

§. XVII.

Quam *ſenſibile* vero vulgo eſt totum *negotium* hæmorrhoidale, ut facile *alterari* & extra *ordinem* ſuum dimoveri queat, tam ſenſibilis etiam præter alias hæmorrhoidales anomalias, *hæc colica* eſt, de qua tractamus; unde non modo in ipſa ſua *ſimplici* conſtitutione facilè *exacerbari* poteſt, ut *vehementiores* dolores inferat, ſed & ut *alias anomalias* ejusdem indolis in *conſenſum* trahat; id quod eo certius fit, ſi è cauſa *ſenſibiliori* & efficaciori hic affectus excitatus fuit, aut ſi poſt *liberum* Hæmorrhoidum fluxum non modo hujus *firma ſuppreſſio* occupavit, ſed & *inconſueta* ſanguinis *ſpiſſitudo* invaluit: inde evenit ut ſimul atrociſſimæ maximeque ſenſibiles commotiones *ſpaſmodicæ* in *meſenterio* concurrant, quæ quaſi inteſtinorum connexorum aut reliqui intimioris abdominis conſtitutionem *rupturam* & *dilacerationem* minantur: & hujus indolis ſunt *colicæ hypochondriacæ* atque *Hyſtericæ*: imo quo *immoderatior* atque acerbior, eo ipſo vero magis *irregularis* hæc contentio *hæmorrhoidalis* eſt, eo *firmior*, & rigidior eſt alvi *occluſio* & obſtipatio, eo magis *natura* à vera methodo *deflectit*, eo *minor* ſpes expectandarum Hæmorrhoidum *fluentium* adeſt, eo durabilior & *contumacior* eſt dolor atque reliquus affectus, eoque magis ſpaſmi ad *ſuperiora* vergunt, atque tota hujus colicæ facies eo *numeroſiores anomalias* hæmorrhoidales inducit: Ante omnia vero notandum eſt, quod paſſim hactenus inculcavimus, hanc colicam hæmorrhoidalem propter *turbatum* Hæmorrhoidum ſucceſſum inſultare, affligere & recurrere: & hæc perturbatio *variis* modis ſeſe ſiſtit, vel quando *ſanguis ſpiſſior* redditus, faciliori admotioni ſive *congeſtioni* & emotioni non obtemperat, vel quando *viis* incommoda quædam *ſtrictura* ſub mala *diæta* & incongruo *regimine* inducta fuit, vel quando *præcedentes* legitimi motus hæmor-

morrhoidales per purgantia *ſtimulantia*, *adſtringentia* remedia aliaque *inconſulta* tentamina immutati fuere, ut propterea è *juſto* ſuo *gradu* atque *loco* iidem impoſterum *alibi* & *gradu alio* & in *loco alio* priſtinum ſuum *ſcopum* proſequantur, vel quando denique fluxus hæmorrhoidalis penitus *ſuppreſſus* fuit. Et hæc ipſa etiam hujus colicæ *ſenſibilitas* in culpa eſt, cur *illa* æque ac *aliæ* anomaliæ hæmorrhoidales, tam facilè *evagetur* & ex *inferioribus* locis in *ſuperiores* adſcendat, ſed eo ipſo etiam ſemper *acerbior* evadat; quemadmodum per eandem rationem citò levem *ſtimulum anotericum* ſequitur, ut ex inferioribus locis *altius* progrediatur: quid quod *immoderatus* ſpaſmorum gradus cauſa illa primaria exiſtit cur aliquando accedente *incongruo* quodam regimine vel medicamine in inteſtinis vel reliquis intimis abdominis tractibus *ſtaſis*, *inflammatio*, infarctus viſcerum, ordinariarum functionum depuratoriarum, præparatoriarum & excretoriarum depravatio & ſufflaminacio & exinde interdum extrema calamitas ſequatur, ut propterea tales affectus totam *corruptam* Hæmorrhoidum faciciem præſentent, quorum ſuperius in *Prognoſtica* hujus Colicæ conſideratione & tractatione actum fuit: quibus ipſis nunc *Pathologicam* hæmorrhoidalis Colicæ tractationem obſignamus, quam ad minimum quoad *fundamenta* & palmarios reſpectus ſufficienter propoſuimus, ita ut commode reliquam *ſpecialiorem* deductionem exercitatis ingeniis commendare queamus.

§. XVIII.

Ultimum ſupereſt, quo in hac ſerie & tractationis præſentis ordine *Practicam* Hæmorrhoidalis Colicæ explicationem ſubnectamus, quam iterum pro meliori connexione in *negativam* & *poſitivam* diſpeſcimus: præmittemus *priorem*, quo perſpectis & cognitis *cautelis*, reliqua Therapia eo *ſecurior* atque certior exiſtat: cavendum pro-

pterea eſt ab omni *ſenſibili* & *impetuoſa* alvi commotione, quare nocent *poſitiva* purgantia; tanto magis vero pernicioſa ſunt *vomitoria:* neque conſultum eſt alvinam excretionem urgere per remedia, *ore* excipienda: neque tamen conveniunt clyſteres *ſtimulantes*, valde *ſaliti*, aut cum *purgantibus* remixti, neque cum *acribus* concentratis *carminativis* conjuncti: abſint ſubinde ſuppoſitoria præcipue *acria* & *ſtimulantia:* præterea nocet *multiplex interna* remediorum ingeſtio, *quam diu* alvus adhuc *rigide* clauſa & *obſtructa* eſt, quoniam exinde *conatus* vomendi aut *actuales* vomitus excitantur: quare valde nocet *negligens* alvi reſeratio & emollitio: præterea huic affectui minimè conveniunt remedia valde *calefacientia*, acria, *concentrata*, *vulgaria* calida ſtomachica & aromatica, ſpirituoſa volatilia, quæ non modo in genere affectum hunc *exacerbant*, ſed & ad internas periculoſas *inflammationes* diſponunt, aut aliarum *anomaliarum* hæmorrhoidalium *concurſum* provocant; vel etiam hos immoderatos ſpaſmos ab inferioribus regionibus, in *ſuperiores* convocant: maximè etiam nocent *refrigerantia*, quæ partim *ſpaſmis*, partim concurrentibus *internis ardoribus* aliquando opponuntur: nocent *adſtringentia* remedia, licet quidem non ea intentione ordinentur, quo adſtringant, ſed quo aperiant, attamen hæc efficacia *aperitiva* non niſi *theoretica* eſt; *adſtringens* vero, *practica* exiſtit; unde quia illa remedia *adſtringunt*, propterea ſolicitè *evitari* debent: maximè etiam nocent *vulgaria narcotica* remedia, quæ non modo *neceſſariam* alvi promotionem *turbant*, adeoque illius obſtructionem *confirmant*, ſed & *totum* negotium *hæmorrhoidale* graviter *corrumpunt* & maxime ſuſpectis conſectariis anſam præbent: ſunt vero talia conſectaria *flatulentiæ* multæ, perturbationes excretionis *alvinæ*, affectus *tympanitici*, *cachectici*, *aſcitici*, *hypochondriaci*, *ſplenetici*, *hepatici*, *ſcirrhoſi*, denique etiam *hectici;* neque etiam

ni-

nimia & ſimul inopportuna interna emollitio & partium relaxatio conducit: abſint porro *vulgaria* remedia aloëtica & helleborina: neque etiam *nimia* & *copioſa* remediorum ingeſtio proficit, quæ facilè ad *vomibundas* commotiones diſponit: neque æque ſimpliciter *neceſſitas* urget, quo ſub hac colica *Vena aperiatur*: nocet multa ægrotantium *inquietudo*, impatientia & jectigatio; quæcunque etiam ſubjecta *primis regionibus* turbas inferunt, illa ſedulo evitanda ſunt; præterea *externa* refrigerantia noxam ſuam afferunt; uti etiam *potus frigidus* multum obeſt: neque caſtoreum *interne* ſingularem opem affert, niſi *nimis refracta* doſi exhibeatur: & hæ ſunt potiores cautelæ in hoc affectu notandæ.

§. XIX.

Jam ad *poſitivam* hæmorrhoidalis colicæ curam accedimus, in qua ante omnia commendamus, quo *occluſa* & conſtricta alvus *aperiatur*: hæc reſeratio vero minime per *ſtimulantia*, ſed per *lenientia* & emollientia præſtanda eſt; quare commendamus *clyſteres* mox *in initio* curæ applicandos & *tam diu* ab *interna* remediorum oblatione abſtinendum erit, *quam diu* adhuc alvus *occluſa* eſt: ordinamus eapropter Clyſteres hoc tempore *tantum* emollientes, lenientes & demulcentes ex ejusmodi ſpeciebus parandos, additis oleis talibus vel ſimplicioribus atque domeſticis vel pharmacevticis: abſtinendo ab *oleis deſtillatis* & concentratis, quin rectius ſimpliciora præferendo: pro *commodiori* & efficaciori abſterſione & apertione ſi *neceſſitas* poſtulat, non inconſultum eſt, quo *modica* Salis quantitas Clyſmati commiſceatur: evitetur vero in genere liberior hujus uſus: tanto magis vero ſi neceſſitas urget, quo *repetitis* vicibus tales clyſteres applicentur: nimia enim aut copioſa ſalis admixtio nociva eſt; quare præſtat rectius moderamini ſtudere: quodſi contigerit, ut *internus ardor* ſub hac colica affligat, tunc cum emolu-

men-

mento *clyſteribus* tantillum *Nitri* ſociatur: neque etiam improbamus, quin verius commendamus pro *re nata* repetitum clyſterum uſum, & ſi aliqua alvi *apertura* conciliata fuit, tunc demum utile erit, quo *proximè* applicandis clyſteribus *temperatiora* carminativa & *ſelecta* ſedativa conjungantur: ob id commendamus combinandas radices pimp. alb. caryophillat. helen. gent. rubr. herb. rorismar. menth. meliſſ. major. thym. fl. cent. min. calend. lavend. helenij. Sem. fœnic. carv. apij. petroſel. bacc. lauri, Cort. aurant. citr. licet etiam tantillum corticis Chaccarillæ addere: neque penitus rejicimus *modicam* commixtionem Theriacæ ſimpl., haud vero *maturius* ſuſcipiendam, quam ſi *antea* alvus *liberata* eſt & *dolores* adhuc continuant, quo tempore tamen ſub clyſterum ordinatione conſueta emollientia & lenientia minimè omittenda ſunt: Ita fiet ut interdum *ſolo* tali clyſterum uſu, citra *aliorſum* & per *os* exhibendorum remediorum ordinationem præſens affectus *ſecurè* & efficaciter curari queat: ſunt propterea in hoc affectu clyſteres præſtantiſſimum auxilium: quod ſi vero contigerit, ut propter *rigidam* ani *conſtrictionem* clyſter applicari haud valeat, tunc huic incommodo ſuccurrere convenit, per *externa* & quidem *fomenta*, modeſtè calida *vaporoſa*: huc etiam conveniunt *linimenta* ad locum ita rigide conſtrictum applicanda, paranda ex ſimplicioribus mucilaginibus & oleis emollientibus addito oleo verbaſci: ad hos uſus vero atque effectus emollientes & lenientes tum ſub clyſteribus, tum ſub aliis formulis conveniunt olea ſimplicia olivarum, raparum, lini, recentia, neque adulta & rancefcentia, ut & *liberalior* uſus butyri tam ſimplicioris, quam modeſte ſaliti; accedunt alia olea, ut amygd. dulc. chamomill. anethinum, Seſaminum, laurinum, Lil. alb. & tantillum irinum: præterea in poſteriori hoc incommodo *rigidæ* alvi *obſtipationis*, conducunt moderatæ inunctiones *abdominis* cum linimentis *emollienti-*

entibus & modeſte *roborantibus*; quidquod confert repetitò *fiſtulam* clyſticam, ſufficienter *delinitam*, modeſte applicare, minime vero acria ſuppoſitoria adhibere: non parum conducunt veſicæ bubulæ aut ſuillæ cum aqua calida repletæ, locis hæmorrhoidalibus & regioni pectinis apponendæ: & ita magis *mitiori* methodo alvi *apertio* concilianda eſt, neque *ante hanc*, ut monuimus, *aliud* quid tentare convenit.

§. XX. Obtenta hac apertione alvi, ſi circumſtantiæ poſtulant alia auxilia ordinanda ſunt & quidem talia quæ *immoderata* hæc molimina hæmorrhoidalia *temperant* & ulterius pro neceſſitate urgente *ſedant*: ad *priorem* ſcopum pertinent nobis uſitati pulveres Nitrati & *antiſpaſmodici*, parcis quidem doſibus, ſed *repetitis* vicibus exhibendi; ad *alteram* claſſem ſpectat uſus cinnabaris & corticis chaccarillæ: velut pulvis exiguus ex Oc. cancr. præp. corall. rubr. præp. & cort. chaccarill. paratus exhibitus admodum confert; cui pulvis moderate Nitratus & cinnabarinus *ſubordinari* poteſt: præterea eximiam utilitatem habent remedia motus irregulares in *meſenterio* concurrentes & *Venam Portæ* affligentes *coercentes*, ſed ſimul in inteſtinis temperata *roboratione* contrarias commotiones corrigentes; quare prædictis remediis ſubjungere convenit temperata & bene moderata carminativa, quo conveniunt Eſſentiæ Ari, helen. pimp. alb. caryophill. gentian. rubr. menth. meliſſ. abſinth. C. B. Cent. min. Cort. Aurant. Citr. flor. & Cort. aur. Cinnam. ejusmodi Eſſentia combinari poteſt cum alio remedio vel *genericè* motus immoderatos *ſedante*, quo Tincturam Cort. Chaccarill. commendamus, vel *ſpecialiori* efficacia ſpaſmos in abdomine & *Vena Portæ* coercente, cujus indolis eſt Eſſentia Millefolii: qualis miſcela eximiam utilitatem promittit: de qua bis per diem patiens aliquot guttulas excipere poteſt: neque rejicimus, ſed potius approbamus uſum Spirituum volatilium, roborante qualitate efficaci-

um, quando *maximus* hujus affectus impetus *mitigatus* eſt: ſiquidem miſcelam ex Eſſentia temperata carminativa, Eſſentia Millefolii & ſpiritu volatili paratam hoc ordine commendamus: Quando *præcedens* rigida & contumax alvi *obſtructio* modeſte liberata & *reſerata* eſt, tunc Pillulæ Stahlianæ eximiam utilitatem habent, dum partim hanc *legitimam* alvi aperturam *conſervant*, partim *irregulares* motus *hæmorrhoidales* tranquillant, quarum uſum propterea in hoc caſu laudamus: neque etiam *oretenus* oblata *lenientia*, mucilaginoſa & gelatinoſa poſt inductam alvi *apertionem* rejici poſſunt, quoniam *ſuperiores* regiones præſervant, ne motus *ſpaſmodici* in easdem deſultent & *inferiores* leniunt atque emolliunt, ne *ulteriores ſtricturæ* easdem detineant: Hiſce internis remediis jungimus parca *externa* & hæc vel *linimenta emollientia* & parcius *roborantia*, quibus *tantillum caſtorei* admiſcere permittimus, vel emplaſtra *moderate* ſtomachica, aſt *non nimis diu* apponenda: multum etiam conducit *calor* congruus, quo *fomenta* temperanter calida abdomini applicanda ordinamus. Sed quo ſingula hæc auxilia eo *certiorem* opem offerant, requiritur, quo patientes ſub hac afflictione *quieti* & *continentes* ſint, neque etiam *multiplici* remediorum ingeſtione & *ventriculum* & reliquas partes offendant & exſtimulent; unde bonum regimen *utilium* remediorum ſalutarem effectum adjuvat & viciſſim malum regimen hunc effectum turbat atque pervertit: Conſultius eſt in hac colica *pauca*, quam multa remedia adhibere: ſemper vero *ſecurior* methodus eſt, quo *conſtanti* ſucceſſui alvinæ excretionis proſpiciatur: quando denique affectus quoad *maximum* gradum remiſit, tunc convenit mixtura ex Tinctura antimonii & Sp ritu C. C. parata, qua partes hactenus affectæ, ita roborantur atq; præſervantur ne tam cito *futuris* ſimilibus hæmorrhoidalibus *inſultibus* pateant atque obtemperent: & hæc auxilia abunde genuinæ indoli hujus colicæ quadrabunt, ita ut exinde nulla *ſiniſtra* ſympto-

pto-

ſymptomata metuenda ſint: quodſi etiam obtigerit, ut in hac colica moleſti atque ſuſpecti *vomitus* irruant, angant atque inſiſtant, tunc præter bonam animi atque corporis *continentiam*, alvi *liberationem* & abſtinentiam à *prodigis* remediorum doſibus atque medicamentis eximie *calefacientibus* & ventriculum *irritantibus*, conveniunt prædicti pulveres nitroſi & cum Chaccarilla remixti: qua methodo non ſemel aut bis, ſed ſatis ſæpe hæc colica hæmorrhoidalis, citra opii concurſum, à D. D. Præſide DEO adſpirante efficaciter curata fuit.

§. XXI. Ultimum adhuc reſtat, quo videlicet adhuc explicemus, quomodo huic Colicæ hæmorrhoidali *præſervatoria* methodo ſuccurrendum ſit: quo ordine minime *illam* præſervationem intelligimus, qua *abſolutè* præſens affectus præſcindi debeat, ne *unquam* ſubjectum quoddam corripiat, ſed ſermo nobis eſt, quomodo hæc colica *præoccupari* queat, ne poſt *prægreſſam* invaſionem, *frequentius* aut acerbius affligat & detineat: Quando itaque totus decurſus hujus colicæ remiſit, tunc ſalutare eſt auxilium, quo moderata abſterſio & *laxatio* ſubjungatur, ut quicquid *heterogenei* remanſit, proximè eliminetur: & hæc peragenda eſt per remedia rhabarbarina ſive in ſubſtantia, ſive in temperato infuſo mediocriter roborante exhibenda: proximè vero adjuvandum eſt, quo fluxus hæmorrhoidalis in *ordinem legitimum* redigatur, id quod methodo apprimè temperata perficiendum eſt, quoniam omnis *impetuoſa* promotio ſuſpecta aut periculoſa conſectaria infert: maxime convenit *alvum* ab omni *perturbatione* præſervare & in *legitimo* ſuo ſucceſſu adjuvare: quare *repetitæ* modeſtæ laxationes per Rhabarbarum conducunt: proſunt ſubinde præſervatorio ſcopo Pillulæ prælaudatæ Stahlianæ: Et ne ex ſanguinis collecta plenitudine & *ſpiſſitudine* hic affectus *novam* aliquam occaſionem nanciſcatur, ita commendamus non modo præſervatoriam *V. Snem* in *pede*, ſed & juſto tempore ſubjungendam *Hirudinum* applicationem ad hæ-

morrhoidalia loca: ſed quoniam *vulgo* ad Hæmorrhoidum promotionem *aloetica* remedia commendantur, hinc admodum *prudentem* uſum aloeticorum remediorum, *præſervatorium* admittimus: & quo alia offendicula avertantur, ſervari debet diæta bona & congruum regimen: quidquid primis regionibus turbandis habile eſt, illud ſedulo evitari debet: *vini boni* uſus merito ad hanc præſervatoriam curam referendus eſt: alvus *ſicca* & *inordinata* nocet: *mobile* vitæ genus, præcipue modeſta *vectura* & *equitatio* admodum proficit: præterea vero omnes illas genericas cauſas atque occaſiones evitare convenit, quotquot ad *quamlibet* colicæ ſpeciem diſponunt: ſubinde ſufficiens ſanguinis & viarum *humectatio* commendanda eſt, ne ex ulla ratione motuum hæmorrhoidalium irregularitas provocetur: præcipuè adhuc *animi* tranquillitas, *continentia* & abſtinentia à *patheticis* commotionibus injungi debet: ita eveniet, ne hæc intricata colica facile recrudeſcat: & hæc quoad principaliores reſpectus in Cura Colicæ hæmorrhoidalis ſufficiant. Ad finem itaque tendimus poſteaquam hactenus non modo hunc ſingularem affectum, ſed & alibi totum Hæmorrhoidum negotium per multas ſpeciales animadverſiones explicavimus: Deo id unice tribuimus, quod nobis in hac utili obſervatione Practica commendanda vires & vitam clementiſſimè largiri voluerit: Huic iterum, ſub devotiſſima gratiarum actione, totum hunc laborem conſecramus & humillime precamur quo eundem conſtanti ſua gratia ſecundet atque ita dirigat, ut ipſius gloriam augeat & proximi ſalutem promoveat: ita felicem & exoptatum noſtri voti impetrabimus

F I N E M.